[illegible]ntinus

Pawołowicz Matthias Joan: Messis viridis honoris gentilitia falce Mrozovicciorum ante Augustum matura collecta.

MESSIS
IVRIDICI HONORIS
GENTILITIA FALCE
MROZOVICCIORVM
ante Augustum maturè
COLLECTA
DVM
Perillustris & Reuerendissimus Dominus,
D. CONSTANTINVS
DE MROZOWICE
MROZOVVICKI
Ecclesiæ Metropolitanæ Leopol: ARCHIDIACONVS,
BVSCEN: ROHATINEN: &c. PRÆPOSITVS,
S. R. M. SECRETARIVS.
A
Clarissimo & Excellen: Domino,
D. M. ADRIANO
KROBSKI
I. V. Doctore Eiusdemq; Ciuilis Professore,
Iudiciorum Ordinationis Zamoscanæ primo Assessore,
S. R. M. SECRETARIO
IVRIS VTRIVSq; DOCTOR
RITV SOLENNI
RENVNCIARETVR.
Officiosissimo Applausu
PER
M. MATTHIAM IOAN. Pawołowic Ph: D. Acad. Zamos. Profes
PRÆSENTATA
Anno Præsentati in CARNE HVMANA VERBI. 1695,
Mense Iulio Die 11.

ZAMOSCII Typis Vniuersitatis Imprimebat Ioannes Rutowski

2I.

IN ARMA

ILLVSTRISSIMÆ DOMVS

MROZOVICCIORVM



CRVX SOLEAM, FALCEMq; premens, fera bella propulsat,
Et suspiratæ pacis adornat opes.
Messis Apostolicæ Diuinum est Symbolon vna,
Altera inest priscæ Nobilitatis Honor.
DOCTORALE DECVS nunc quando Coronat vtramq;
Tot bona Cælesti sub CRVCE, sacra manent.

FELIX THOMAS DROBYSZ TVSZYNSKI
Subdapiferides Zytomiriensis
Studiosus Analogiæ.



MESSIS
HONORIS IVRIDICI.

Avde calame,
mitte acumen in Auream Honoris Iuridici Mesſem,
& nullus te arguet iniectæ manûs in alienas Ariſta s,
Dûm
ILLVSTRISSIMA FALCE MROZOVICCIANA
ante Auguſtum demetuntur Honores.
Fabuloſa Saturni ſecula Falcibus auream obtigiſſe aſſerunt vindemiam,
Sed hîc Auitæ MROZOVICCII Falx
plus quàm auream quià perennem
Iuridici Honoris Meſsem
præſentat,
In qua non tàm ætates, quàm continuas æſtates maturuiſſe
Poſteritas mirabitur.
Nullus HVIC FALCI menſis fuit nõ Auguſtus,
dùm æſtiuos Soles, Auguſtumq; ingerit Seculum:
QVAM non tantùm labor exponit in NITOREM,
Sed Sol, æſtaſq; in HONOREM.
Sacer illis incumbit ſudor,

quia ager, qui in Meſſem herbeſcit in animis eſt:
in quibus Sacra Sementis in nobilę Honoris Faſtigium adoleſcet.

Nec ſine benedictione,

NAM FÆDVS FALCIS CVM CRVCE,

vel Meſsem Gloriæ, vel pias victorias ſpondet.

Hoc à victrici ſigno, qui metit victorias
non quamcunq; herbam, ſed LAVREAM colligit.
Hâc TV & ornaris, & gloriaris

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME Dne,
ARCHIDIACONE LEOPOLIENSIS.
Nullibi nimirum COSTANTINI NOMEN ſine
CRVCE & LAVREA.
Meritò TE Inſignia Cælitum DIVIS inſcripſére
natiuo fædere:
dùm MAIORVM CÆLESTIA CERIS inhæſerunt
INSIGNIA,
ex quibus Maxima TIBI gloria ſurgit,
quia cœleſtes ambit animas.
CRVX TRIVMPHALE SIGNVM EST,
ſed non minus & FALX,
QVÆ non facit niſi magna Trophæa.

Genus Maximum es,

& hoc excedis Romanos Æmilianos.
etenim non millenos

Regnatrix hucuſq; Polonia

in SARMATICIS CVRVLIBVS adorauit

SENATORES.

Eouſq; gloriatur *HALICIENSIS TERRA*

Magno Nomine,

ILLVS-

ILLVSTRIS & MAGNIFICI DOMINI

GEORGII

de Mrozowice

MROZOWICKI,

NOTARII TERRESTRIS HALICIEN: TVI PROGENITORIS CHARISSIMI,

Qvi non minùs terreſtri calamo

HALICIAM,

quàm Acinace Poloniã, imò Orbem decorauit.

non ne

Labarum Maternum

ILLVSTRIS & MAGNIFICÆ

HEDVIGIS

de OLESNIKI,

tergeminis decorat Senatum Polonum Aquilis,

ſub Quibus, vt verus Aquilæ Polonæ Pullus

ILLVSTRIS & MAGNIFICVS

PAVLVS MROZOWICKI,

Iudex Terreſtris Halicienſis Germanus Tuus,

Aſtrææ celſa in adyta euolauit.

Quem

ſoleato curſu,

ILLVSTRIS & MAGNIFICVS

IOANNES MROZOWICKI,

Subiudex Terreſtris, & Vice-Capitaneus Leopolienſis

ſecutus.

Splendorem, & Decorem Patriæ adauget.

Fruſtra calame niteris in laudes exſpatiari

ILLRMÆ MROZOVICCIORũ PROSAPIÆ,

Qvæ ſemper Sublimibus alta TITVLIS.
nil niſi,
MAGNA SENATVS ORNAMENTA, CAMILLOS, & SCIPIONES SARMATICOS
fouet & alit.
Exiguo ſatis erit annulo includere
tot Heroum gemmas,
OLESNICCIOS, FIRLEIOS, STRVSOS, PODFILIBSCIOS, CHODOROWSCIOS, POTOCCIOS, WASIECZYNSCIOS, DANIŁOVICCIOS, LVBIENIECCIOS, KVROPATNICCIOS, SZCZVCCIOS, ZIELINSCIOS,IANICCIOS,RASZOVSCIOS,SZCZEPANOVSCIOS, OZGAS, KALINSCIOS, SILNICCIOS, STRADOMSCIOS, alioſq; Toga & ſago Clariſſimos.
Vt tantùm Magni Sanguinis fulgorē intenderes,
quidquid Literarum ſapientiæ adyta occulerent,
per earum cultum Adoleſcentiam tranſegiſti,
Altioribus ſtudijs non prima labra,
ſed mentis intima profundè imbuiſti.
ſic nempe
Limatiora Ingenia ſummos vbiq; ſapientiæ tangunt limites,
Totus TIBI Ariſtotelis Euripus influxit in mentem,
vt vadum in eo neſcis, ita profunda penetras ſecurus,
veri acerrimus Indagator.
Nil ferme reconditum in Ægyptiæ adytis ſapientiæ,
nil in Atticis noctibus, vel lucubrationibus obſcurum,
cui diem inuehere non poſsis.
Nullus in ſacris Codicibus Aſteriſcus,
quem efficere ſolem nequeas,
ſi illuſtres.
Ita per altas euagans ſcientias,
ſapis vltra hominum naturam,
non infra gloriam:
Cuius Doctrinæ profunditas,
Sapientiæ attigit fundum.
ſi THOMÆ ANGELICI Nomen ab etymō abyſſo eſt;
hanc

hanc profunditas ingenij Tui amat
abyſsum.
inter Diuinas artes optimè ſapuiſti,
dùm
priùs Deum in via ſpeculatus,
quàm in Patria.
Fulgebat TVÆ FALCIS nitor Patriæ
nec ſemel
in ſacra Polona Themide,
pro Tribunalitia bilance.
Iuſtitiâ Ariſtidis, Magnitudine Nominis, Elegantiâ
mentis, Authoritate Sapientiæ, dulcore Eloquij
eminebas emineſq;.
Nihil vſquã in TE radiat, quòd AVITIS CERIS TVIS
fulgorem non geminet, ac intendat.
Procul à Te vmbrarum conſortia,
quia Natiua Claritas TVA, TE in luce poſuit,
vt Sacrorum Maieſtas à TE deſumpſiſſe videatur
Faſtigium,
quando Te ipſo gloriã auges, fortu-
nam conſilio.
non egeat Tripode Polonia, nec
Delphos nauiget,
quia ſatis conſilij eſt, Tuo ab Ore.
Nec enim TVA TE mouent damna, ſed publica;
ad quæ repellenda,
IN TOGA VIRVM INCOMPARABILEM, CONSVM IN CONSILIIS, ISOCRATEM PRO ROSTRIS, CATONEM IN SENATV; AREOPAGITAM PRO TRIBVNALIB9 TE ſemper exhibuiſti.
Inter mortales, cuncta perennia, nihil mortale,
cogitas faciſq;.

à MAIORIBVS TVIS MAGNVS prodijsti,
quia
C O N S T A N T I N V S.
Tali eguit ROXOLANA METROPOLIS ARCHI-
DIACONO,
*Qui, & PRÆLATORVM, & CANONICI SENA-
TVS AMPLITVDINEM quæreret,
SPLENDOREM, & GLORIAM augeret.*
Et non vano omine,
nam in Selectissimis mentibus, Magnisq; Viris hæc
cuncta effulgent.
sed his omnibus in TE Vno,
omne Maiestatis punctum vniuersi Splendoris, &
gratiarum compendium eminet.
Patuit, & quotidiano patet experimento,
Te cum Tullio fædera inijsse:
nec minorem TIBI plausum eruditio contulit,
quàm sacra facundia:
Qui nòn tantùm Oratoria, sed sacra docuisti ful-
minare Rostra,
spargens Gemmas cælestes in animis.
Lingua, & ingenium T I B I adeò fulmen gessit,
vt vbiq; IVPPITER peruersa ingenia metu perstrin-
geres.
*Toties famem audientibus injecisti; Quoties percrebuit
fama Peroraturi.*
*AREOPAGITARVM SAPIENS CIRCVLVS TE
requirit,*
vt lites ingeniorum iustiori Paridis Iudicio extrices.
LAVREAM certè sudantis Ingenij humor TVVS
hucusq; laudatissimus aluit,
Quam in ZAMOSCANIS ATHENIS TVA FALX
ante Augustum messuit.
Sub TVA FALCE munitâ CRVCE gloriosiùs,
quàm ROMA Falcatis Curribus
triumphabit Polonia.

Nec tantùm decent TE LAVREÆ, quæ ferro metûtur,
sed quæ & ingenio:
imò
Pulchriùs est mente, quàm manu confligere,
& sine sanguine triumphare.
Triumphant calami præter arma,
perenniusq; inscribunt Gloriæ Patrimonium,
dùm in Laudes euolant.

Talis ad Aras imperas,
vt templa imperium Tibi Antistitis
deferre velint.
Talis in Ecclesiæ Iuribus videberis,
vt antequàm DOCTOR IVRIS dicereris, priùs Provinciam OFFICIALIS
summo omnium plausu sustinueris.
Secundam post CVSTODIS dignitatem, ARCHIDIACONI agnoscis gloriam,
sed tamen non vnam, & solitariam:
quia Tua Soleata Virtus per ardua
accepit cursum ad sublimia.
Incurrit in metam Honorum Sarmatiæ,
cui tamen nec plùs vltra dicendum esset.
Amavit Polonia in Te scientiam, quam coronauit
Iuris Vtriusq; Doctoratûs Laureâ.
Non vnam omnium suffragijs TVA erudita meretur
VIRTVS CORONAM,
quæ multa publicæ felicitati promittit decora.

PERILLVSSTRIS & REVERENDISSIME
ARCHIDIACONE LEOPOLIENSIS
Sacram facundiam Tuam Archidiœcesis probauit,

Ciuilemq; Polona Themis ſtupet.
Roſas alij loqvuntur Tu aurum, non verba fundis.

Colat TE in Toga iam calamus
quam cum Iuris Doctoratûs accepiſti Annulo.

Plus enim geſsit TVA TOGA,
quàm aliorum Purpura.

Annulus digito in decorem impoſitus,
perennis Symbolum eſt felicitatis.

Prudentia in ſingulis errandi neſcia,
in omnibus oculatior Argo.

Hinc cum fama ingenti parta Auctoritas,
quam auxit ERVDITIO.

Proinde Te quiſquis requirit honor,
vt te fugientem inſequatur:
non ſine tamen contentione,
quia violentum illi eſt, ſi fugias.

TE PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIME
ARCHIDIACONE LEOPOLIENSIS
nulla Honorum ſitis, fameſq; pulſauit,
vt pleroſq; honorum Tantalos:
Quos inter hæc obſonia quædam Dignitatûm ſagina,
vel potiùs ingluvies enecat.

Nihil à TE actum, vt nativam lucem munere augeas,
ſed meritis Securior,
quæ ſola ad præmium Honoris TE evocant.

Tuâ Prudentiâ Coriphæus extitiſti.
Sedit TVO in pectore priſcus in Rempublicam Amor,
quo illam conaris amantiſſimam Cœlo, Orbiq;
oſtendere.

Proculà TE turpis aſsentatio, vel ignavus offenſionum metus,
dùm veritatem Tuo in Nomine conſtantem
præ-

præferre satagis.

Persvades non quæ suavissima, sed quæ saluberrima

Aris, Focisq; vides.

Ergò hunc obtine HONOREM, quem mereris,

Quidquid in eo invenitur SVMMI,

à TE sumet Fastigium.

Emineas DOCTOR VTRIVSq; IVRIS,

licet non vltra TVAM,

certè vltra altitudinem plurimorum.

Si altiùs quid requiris?

suppeditabit Polonia.

Qvidquid Tua soleata Virtus calcabit vltra,

non tantùm ROSA, sed fiat semper LAVRVS.

Explicat hæc iam in TE AVREAM IVRIS VTRIVSq;

MESSEM,

in GEMMEAS PRÆSVLEI HONORIS transituram

INFVLAS.

Proximum exinde Cælis TIBI pariat Autumnum,

Curulibus, Purpurisq; grandævum,

Talibus frontis Tuæ sudores extergentem Coronis,

SVMMORVMq; in ECCLESIA, & PATRIA HONORVM MESSIBVS opulentum,

non inani lenocinio calamistratus,

sed suorum in TE certus augur votorum,

meus iste Calamus,

TE prosequi Plausibus

paratest, optat.





FELICISSIMIS SVB AVSPICIIS

Magnifici Clariſſimi, & Excellen: Domini,

D. M. STANISLAI NIEVVIESKI

Philoſophiæ Doctoris, Phyſices Ordinarij Profeſſoris, Aſtronomi, & Geometræ, Studij Almæ Vniuerſitatis Zamoſcenſis Generalis ac Vigilantiſsimi

RECTORIS.

